Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 481
Quelle:
Copyright:

Quamuis mille modis tropi varientur in odis,
Octo modis tantum fit continuatio uocum,
Vt ſeries horum depromit uerſiculorum.
Quando C B ſociatur in cantu lymma uocatur &c.

Et finit tertio folio:

Tot uicibus uariis cantus diſcernitur omnis.

V. *folio* 63. manu Sec. XIII. ἀνεπιγραφως ſequitur *Guidonis*, ſeu *Widonis Aretini* O. S. B. Monachi, qui Sec. XI. floruit, *Micrologus de Diſciplina Artis Muſicae* incipiens a 5. illis verſibus ἀκροστιχοις:

Gymnaſio muſas placuit reuocare ſolutas &c.

et Epiſtola ad Epiſcopum ſuum *Theodaldum*, *Teudaldum*, nobis *Thealdum: Diuini timoris totiusque prudentie fulgore clariſſimo* &c. prout extat in Collectione *Gerbertiana* T. II. p. 2. Et Exemplar quidem noſtrum variis locis imperfectius deprehendi, et praecipue carens C. ultimo: *Quomodo Muſica ex Malleorum ſonitu ſit inventa*, cujus loco ita finit Noſter: *Curioſus itaque exiſtas. et in uſum exercitando uertas. Si ſimphoniam habeas. ſatis tibi he regule diamphoni dabunt. De origine autem muſice artis quia rudem lectorem uidimus, in primis tacuimus. quod exercitato iam. magisque ſicienti in finem tribuimus.* Sed fallit promiſſor, proque hoc Capite Schemata VIII. *Tonorum* ſupra nominatorum adpingit.

Praetextae ſunt utrinque Codici, ut pluribus aliis *Montis Pomerii*, Membranae ab elegante manu Conſtitutiones quasdam capitulares *Ciſtercienſium* complexae.

CCLXXII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 198. f. maj. per duas columnas multis vocum compendiis exaratus, rubro diſtinctus, et prius *Monaſterii B. V. in Gærſten* O. S. B. ad *Styram* ſuper. *Auſtriae* continet ſequentia: I. *Extractiones Librorum Dionyſii* dicti *Areopagitae*, ſive Commentarios in eosdem *Thomae Abb. S. Andreae Vercellenſis* O. Can. Reg. Sec. XIII. de quo adi *Pezii Diſſert. Iſag.* ad T. II. *Theſ. Anecdot.* P. 1. Extant hae *Extractiones* in Editt. *Opp. Dionyſii Argent.* 1502. *Colon.* 1556. f. et aliis. Ineunt: *Cum in libris magni dyoniſij ariopagite geminam experirer difficultatem* &c. Sed poſt *Extractionem de eccleſiaſtica Hierarchia* in Codice ſequuntur *Collectanea per dominum vercellenſem. qualiter vita* R. 3287